

P. Argumentis, quae ducuntur ex locis, aut in re ipsa insitis, aut assumtis.

F. Quos vocas locos?

P. Eos, in quibus latent argumenta.

F. Quid est argumentum?

P. Probabile inventum ad faciendam fidem.

De orat. II. 39. Ego si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inferant. Sin sit is, qui et doctrina mihi liberaliter institutus, et aliquo jam imbutus usu, et satis acri ingenio esse videntur; illuc cum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquila teneatur, sed unde universum flumen erumpat: qui illi sedes, et tanquam domicilia omnium argumentorum commonstret, et ea breviter illustret, verbisque definiat. Quid enim est, in quo haereat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, quum, aut res quae sit tota, quaeratur, aut pars ejus, aut vocabulum quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat: extrinsecus autem, quum ea, quae sunt foris, neque inhaerent in rei natura, colliguntur. Si res tota quaeritur, definitione universa vis explicanda est, sic: *Si majestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi Romani potestati tradidit.* Sin pars; partitione, hoc modo: *Aut senatui parendum de salute rei publicae fait, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum. Aliud consilium, seperbum; snum, arrogans. Utendum igitur fait consilio senatus.* Si ex vocabulo, ut Carbo: *Si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius?* Sin ab eo, quod rem attingat, plures sunt argumentorum sedes ac loci. Nam et conjuncta quaeremus,